



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>



MENTEM ALIT ET EXCOLIT



K.K. HOFBIBLIOTHEK  
ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK

53.H.25

LIII. H. 25.



# MAGNAE DEVM MATRIS IDAEAЕ


& Attidis initia.

EX VETVSTIS MONVMENTIS  
nuper Tornaci erutis.

*Edente iterum & explicante accuratius ad  
veterum Auctorum mentem.*

L A V R E N T I O P I G N O R I O  
Presb. Patauino.

C V M P R I V I L E G I O .



V E N E T I I S , M D C X X I I I .

Sumptibus Petri Pauli Tozzij.

*Bibliopola Patauini.*

*Ex Augustissimâ Bibliothecâ  
Caesareâ Vindobonensi.*



Handwritten text, likely a title or description, written in a cursive script. The text is partially obscured by a large, dark, irregular ink blot or smudge.



AMPLISSIMO VIRO,

& Senatori prudentissimo

D. DOMINICO

MOLINO. F. P.



*NON una fuit causa, Vir Illustrissime, quam obrem hunc aureolum libellum sub praelum reuocatum Amplitudini Tuae nuncuparem. Primam sibi vendicat Genius tuus, quem Musa, & Charities suis manibus videntur finxisse. Non mentior, nec blandior; testis est mihi, Fama constans, quae inuitis inuidis eximias, ac propè singulares virtutes tuas in omnium ore, atq; admiratione iam collocauit. Sed ut cetera omittam, quae benè longam, & luculentam efflagitarent laudationem; quis paulò humanior ignorare potest ardentem illum affectum, quo bonas litteras, & litteratos omnes amplecteris? Quali-*

bet



bet sponſione contendam, neminem eſſe, non dicam in tota Italia, ſed ne in Europa quidem, in quouis litterarum genere excellentem, qui Te non norit vel de facie, vel per episto-  
 las, vel ſaltem à nominis celebritate. Inſignis ſanè laus, quæ quò pauciores Tui ſimiles in ſocietatem admittit, eò Te reddit inſignio-  
 rem. Porro, quis credat, magnum maxima Reipu-  
 blicæ Senatorem ſummis diſtentum occupationibus, litterato ocio vacare poſſe? Atqui veriſſimum eſt, non ſolùm domum tuam à doctiſſimis Viris frequen-  
 tari, cum quibus cotidie ſermones ſerere ſoles de re-  
 bus litterarijs; verùm etiam illos, qui per abſentiam, Te frui nequeunt, aſſiduè litteras ad Te mittere, qui-  
 bus & humaniſſimè reſpondeſ, & eoſdem perſepè  
 prouocas ad ſcribendum, urgesq; ut aliquid pangant,  
 quò bonarum artium cenſus auctior fiat, atq; locuple-  
 tior. Operoſum nimis ſit, & ab episto-  
 la compendio alienum, Indicem texere Virorum inſigni doctrina,  
 & eruditione præſtantium, qui Te ex animo colunt,  
 ac venerantur; quoſque tu diligis, non dicis cauſa,  
 & cum opus eſt, auctoritate, & beneficentia iuuare  
 ſoles: Vnum tamen in præſentia ſine piaculo ſilere  
 non poſſum LAVRENTIUM PIGNORIUM aucto-  
 rem huius Libelli, quem ſat ſcio à te impenſè amari,  
 ac plurimi fieri ob aurei ſeculi mores, multiplicem  
 eruditionem, & exquisitam præſertim penitioris An-  
 tiquitatis peritiā, quam aſſatim exprompſit in ex-  
 plicatione Antiquiſſima Menſa Iſiaca; quo conatu  
 longe

5

*longe felicissimo Myſteria Iſidis artiſſimis tenebris  
inuoluta tanquam è Tripode enunciauit : opus ſanè  
impeditum atq; reconditum, ideoq; ſuperiorum ſecu-  
lorum Antiquarijs ne ſuſpicione quidem peruium.  
Cuius argumenti additamentum quoddam eſt per-  
erudita hæc Diatriba de Initijs Magnæ Deum Ma-  
tris, quam ſanè Iconibus auctam, emendatam, &  
pluribus locis locupletatam eodem Pignorio Auctore  
imprimendam curauit; ut alia omnino uideri poſſit  
ab ea, quæ ſuperiore anno Pariſijs prodijt cum præ-  
fatione Auctoris ad Nobiliſſimum Virum & litte-  
rarum cum primis amantem Nicolaum Fabritium  
de Petriſco; cui pergratum fore conſido hoc opuscu-  
lum ſub eius clariffimo nomine prius editum ruruſus  
limatius, atq; auctius, Pignorio annuente, Tibi  
Senatori Ampliſſimo, & ſibi multis nominibus con-  
iunctiſſimo dedicari. Epiſtola finem imponam, ſi  
unum à Tua Benignitate impetrauero; ut ſcilicet  
Amplitudo Tua me in poſtrema admiſſionis famu-  
los admittere ne grauetur.*

*Patauij VII. Eid. Martij M DC XXIII*

*Illuſtriſs. Amplitudinis Tue*

*Seruus deuinctiſſimus*

*Petrus Paulus Tozzius.*

*Lectori Laurentius Pignorius.*




Aec sigilla quæ vides (amice Lector) extabant olim Tornaci, prope quod etiam effossa fuerant, apud Dionysium Villerium Canonicum virum eruditum. Fuerunt autem ex aere omnia, & è sacrario (ni fallor) veteris alicuius Fanni magnæ Deum Matris, cuius religio videtur etiam eo peruasisse; ab eo fortasse tempore, quo Galli vt inquit Pausanias, in Atticis, Pesinuntem, ad montem Agdistin, nobile Atys tumulto oppidum ceperunt. Pesinunte etenim Acdestis, Atys corpus ceremonijs annuis, & sacerdotum antistitibus honorauit inquit Arnobius Lib. v. nec non & Strabo Lib. xij. Claudianus, in Eutropium, Lib. ij. Pausaniæ dictum firmat,

*Nuper ab Oceano Callorum exercitus ingens  
Illis, ante vagus, tandem regionibus hæsit,  
Gesaq̃, deposuit Graio iam misis amictu,  
Pro Rheno poturus Halyn, —*

Attidis icunculam pauxillum argenti ornat vt dicemus: non dubio argumento & præclari artificis, quod loquuntur & ipsa oris liniamenta, & existimationis in qua fuerit apud Sacerdotem aliquem, siue apud procerum quempiam in Larario priuato, & familiari. Et vero apud me etiam visitur antiqua Pallas ærea, semipedis magnitudine, oculis, zona, & calceamentis ex argento incisus: qua vix aliud vidi magis absolutum in hoc genere veterum Sigillorum, quamuis etiam extent alicubi, vt vidimus olim, solido ex argento elaboratæ imagunculæ Martis & Fortunæ, rudiusculæ tamen, & minus politæ. Et hæc sane omnia Lararij vel Adyti alicuius instrumenta fuerunt vt dixi. Nisi malimus ad Initiatos referre, qui Initiorum quædam signa & monumenta, sibi a Sacerdotibus tradita, vt scribit Appuleius in Apologia quam vocant primam, seorsum sedulo conseruabant. Et apud hos moribus fuerat receptum (eodem teste) circumferre secum etiam peregre simulachrum alicuius Dei, ipsiq; diebus festis, thure & mero & aliquando vi-

timis

& imis suppli care. Quod & non omnino bene cessit Asclepiadi  
 philoso pho apud Ammianum Marcellinum Lib. xxij. Verum  
 hæc forte alias, latius disquiremus. Manus porro, dextra est; ita  
 cōformata, vt pollicem, indicem, & medium, siue impudicum  
 sustollat, annularem & minimum deprimat, eo schemate, quo  
 nostræ Religionis Antistites populum olim solebant consigna  
 re, quodq; Pictores in effingenda CHRISTI domini dex  
 tera manu, sacram Crucis tesseram imprimente, mordicus re  
 tinuere. At quare manui hæc symbola insculpta sunt? an quia  
 Diabolus iam tunc studuerit eleuare mira calliditate, eum ge  
 stum, quem Christiani Sacerdotes adhibitori erant sacro signo  
 exprimendo? an quia in ea manu crederent Ethnici viuere  
 Atydis minimissimum digitum, qui perpetuo agigaretur mo  
 tu, vt ex veteribus theologis tradidit Arnobius? an quia & Isis,  
 vt infra dicemus, manum sacram ostentauerit in pompa?  
 Verum, quia viri eruditi arbitrati sunt, hanc manum aliquando  
 conspicuam fuisse inter signa militaria, quod Aquilam fulmi  
 niferam in summis digitis prætulit; dicemus Aquilam Legio  
 nariam fuisse auream non æream, teste Dione Lib. xv. non  
 quidem impositam digitis, sed fulmen prensantem vnguibus,  
 & stantem in summa hasta. vt passim ostendant Denarij gentis  
 Antonia: & alibi veteres nummi, vt apud Aeneam Vicum in  
 Galba. At aliquando cernitur sine fulmine, vt perspicue in ve  
 tere monumento M. Pompei. Aspri, Romæ apud Cæsios, &  
 in aliquibus Denarijs. Neque vero non erat hac nostra maior,  
 vtpote conspicienda, & edito loco in summo hastili statuenda.  
 At solitaria & fulminifera sine hasta, visitur sæpe apud Gor  
 læum, media videlicet inter duo signa minora. Sed manui im  
 positam (hac nostra excepta) ego numquam vidi. Arulæ insi  
 dentem vidi aliquando, Scipioni eburneo aliquoties, Globo  
 non semel, Pyræ Cæsarum sæpius. Manus vero erant qui  
 dem in Signorum (vt ita dicam) censu: at diuersa conforma  
 tione, vt in Nummis Traiani apud Aeneam Vicum, & in Da  
 ctyliotheca Gorlæi.



# MAGNAE DEVM<sup>9</sup> MATRIS IDEÆ & Attidis initia.



ATTIDIS nomine Phryges Solem venerati olim sunt. Ita Macrobius lib.I. Saturn. c. XXI. & Macrobio antiquior Arnobius li. V. extremo. Huius Attidis, siue Attinis fabulam qui cupit peruidere, is adeat Diodorum Siculum li.III. Pausaniam in Achaicis, Arnobium in princ. lib. V. & Seruium in IX. Aeneid. & e recentioribus Gyraldum Syn. IIII. Cartarium nostræ Editionis pag. 190. 191. 192. Eius autem imago ea est quæ exhibetur, ore videlicet *excelllentissimo*, ut sunt Arnobij verba, & specie inter virginem & puerum eximia. Catullus hoc idem voluit.

*Quod enim genus figura est, ego quod non habuerim?*

*Ego mulier, ego adulescens, ego ephebus, ego puer,*

*Ego gymnasi fui flos, ego eram decus olei.*

Marcianus Capella lib. I.


*Arys pulcher item, curui & puer almus aratri.*

Caput autem tectum mithra Phrygem indicat. Hi enim hoc pileo vsi sunt, ut nos alibi latius ostendemus. Braccas, quas gerit indutui, vidimus in vetere Ara, quam primus IACOBVS MAZUCHIVS publicauit, in qua Attis Pinui innixus Cybelem aspestat. Reliquum vestis diductum & sinuatum videtur mihi non carere mysterio, ut quod sui ambitu & patore malum Punicum referat, cuius specie capta mater Attidis Nana facta fuerit prægnans, ut scriptum reliquit Arnobius. Porro digiti dexteræ manus, index & impudicus virilia ostendentes eo alludunt, ut commonstrent masculum pudendum, Deum matris delicias illas luctuosas. Monile verò, cingulum, & Fibulæ Braccarum ( siquos hoc etiam scire delectat ) incisa sunt omnia ex argento. Et hæc quidem quoad Attidis imaginem satis. Manus ærea, cum inanis sit, minimeque solida, neque videatur adhæsisse trunco brachij, ideo fabrefacta forsan fuit, ut sceptro, vel hastili non ita magno infereretur. Cui vsui? inquires. Ut præferretur in pompa ipsi matri Deum. Qua plane ratione Antistitum vnus Iudi prægestabat, *Aequitatis indicium deformatam manum sinistræ*

B

por-

*porrecta palmula*, vt scribit Appuleius lib. XI. *Metam.* Et sanè Ifidis sacra non abierunt à mysteriis matris Deum. **VLPIVS** enim **EGNATIVS FAVENTINVS PATER ET HIEROCERYX D. S. I. M.** fuit etiam sacerdos Ifidis : & **C. MENATIVS SEVERVS** matri Deum & Ifidi fanum refecit : vt minime mirum sit hanc manus prælationem utrobique fuisse receptam. Addamus quod **OCTAVIVS ROSSIUS** monuit in operoso illo & erudito volumine, quod appellauit antiqua Brixie monumenta, in summa hasta simulacri **TILLINI**, indigenæ numinis, stetisse manum æream huic nostræ non valde absimilem.



Iam in manu quæ comparent explicabimus, si licebit per genium Antiquitatis. Carpum ipsius circummambit Draco variegatus & caput cristatus. Et profectò in veteri signo marmoreo, quod extat Romæ in hortis **IVLII III.** extra portam Flaminiam, & edidit **IOANNES GEORGIUS HERVVARTVS**, truncum, cui innititur **Attis**, circumserpit Draco, punctis tergum interstinctus, non tamen cristatus. Est autem Draco inter præcipua solis argumenta, inquit **Macrobius**. Et in sacris Sabadijs Draco mysticus celebris est. Quæ quidem sacra minime disparata fuerunt ab his nostris Initijs, vt argumento esse potest imprecatio illa apud Appuleium, & quidem semiuiri vnus ex hoc grege: *At te cadauer surdum & mutum, delirumque præconem, omnipotens & omniparens dea SYRIA, & sanctus SABADIVS, & BELLONA, & mater IDAEA, cum suo ADONE VENVS domina, cæcum reddant.* Strabo clarissimè lib. X. καὶ ὁ Σαβάζιος δὲ τῶν Φρυγίων ἐστίν. Et infra. ταῦτα γὰρ ἐστὶ Σαβάζια, καὶ Μνῆρῶα. **Lucianus** in **Icaro-menippo**. Iam enim cœna tempus erat, meque **Mercurius** arreptum iussit accumbere, iuxta **Pana**, & **Corybantas**, & **Attin** ac **Sabazium**, inquilinos istos & ancipites

*pites Deos. Idem in Deorum Concilio, atque, o Iuppiter, Attis ille & Corybas, & Sabazius unde nobis tandem accersiti veniunt? Cur autem caput Draconis balim pollicis obsideat, inde videtur factum, quod pollex (ut scriptum reliquit Atteius Capito) qui nomen ab eo quod pollet accepit, nec in sinistra cessat, nec minus quam tota manus in officio est. Quæ omnia Solis pollentiam vigilæque laborem, ut canit Prudentius, mirifice mihi exprimunt. Infra volam manus cauda Draconis sistitur, è cuius regione surgit flagrum manubriatum (ut mihi quidem videtur) & ea profecto specie, qua cernitur gestari à Sole in nummis Elagabali, Alexandri, Gallieni & aliorum Augustorum, cum inscriptione ORIENTIS, SOLIS COMITIS &c. Prudentius contra Symmachum, lib. 1.*

*Hoc sidus, currum, rapidasque agitare quadrigas  
Commenti, & radios capitis, & verbera dextra,  
Et frenos falerasque & equorum pectora anbelæ, &c.*

Nisi vero dicamus flagrum esse ex disciplina Gallorum. Appuleius lib. VIII. *Arrepto denique flagro, quod semiviris illis proprium gestamen est, contortis tenuis lanosi velleris prolixè simbriatum, & multiungis talis ovium tessellatum, indidem sese multinodis commulcat ictibus, &c.*

Ovidius lib. IV. Fastorum.

*Exulant comites: furiosaq; tibia flatnr:  
Et feriunt molles taurea terga manus.*

Et hæc est, quæ apud Iuvenalem substantiue, ut loquuntur Grammatici, Taurea est, Sat. VI.

—————*Taurea punit*

*Continuo flexi crimen, facinusq; capilli.*

Supra flagrum repit Testudo, quæ an aliqua ratione Cybelen attingat mihi prolius incompertum est; nisi huc illatam velimus quod nuptias auerfaretur. Servius è membranarum Fuldensibus in I. Aen. *Virgo quædam nomine Chelone, linguæ impatiens fuit. Verum cum Iuppiter Iunonem sibi nuptiis iungeret, præcepit Mercurio, ut omnes deos vel homines, atque omnia animalia ad nuptias convocaret. Sed omnibus quos Mercurius monuerat convenientibus, sola Chelone inridens & derogans nuptiis, neſtens moras adesse contempsit. Quam cum Mercurius non venisse notauisset, denuo descendit in terras, & ades Chelonis supra fluuium positas, præcipitavit in fluuium, ipsamque Chelonem in animal sui nominis vertit, quam nos latine Testudinem dicimus: fecitque ut pro pœna dorso tetum, velut damnum suum prona portaret. Ita Servius. At nuptias Attidis ipsa etiam Cybele auerfabatur. Arnobius libro citato, verum etiam mater adolescentuli fatum sciens, interq; homines illum tamdiu futurum saluum, quamdiu esset solutus a MATRIMONIO fœdere, nequid accideret mæsti, &c. Sunt qui illud ex Pacuuio suggererint,*

*Sanguine cassa, domiporta, TERRIGENA, &c.*

MARTINVS quidem SANDELLIVS amicus noster, multarum atque adeò reconditarum litterarum notitia insignis, arbitrabatur Testudinem hic expressam fuisse, veluti notam silentij & Taciturni-



nitatis, quibus imperatis Initiatorum olim omnium mysteria obsignabantur. Et sanè extabat, vt narrat Pausanias in Eliacis, signum Veneris cœlestis, Phidix opus, quod altero pede Testudinem premebat. Hanc nonnulli arbitrati sunt ideo adhibitam, quod silentium indicaret, tanquam locupletem muliebris formæ dotem, & vnicum veluti censum. Testudo enim præter valde tenuem sibilum, cumque abruptum, nihil præterea vocis habet. Inde rectè est apud Sympodium.

*Vina nihil dixi, quæ sic modo mortua canto.*

Accedit eiusdem ingenium, quo se totam abdere, & aspectui subtrahere consuevit. Eximie ad mysteriorum (vt ipsi quidem rebantur) vim secretorum habendam, & profanorum oculis eripiendam. Virgilius de hisce nostris in II. Aen.

————— *Hinc fida silentia sacris.*

Vbi Seruius, & Iul. Pomponius Sabinus, cuius hæc sunt; *Nefas erat patrefacere sacra Cybelis, tantum paucis nota erant. Sic iussit ipsa Cybele, cum erudiret Idaeos Dactylos, & doceret initiandi morem. Diodorus ait, morem initiandi, quem Dardanus accepit à Ioue, nefas erat aperire nisi initiatis, ideo fida silentia.* Addamus similitudinem etiam quamdam cognominum intercessisse. Vt enim Cybele, *φιδίπις*, & *πυργόρορος*, ita hæc nostra *φιδίπιος*, & domiporta dicta est. At hæc tamdiu placeant, quamdiu prodeant meliora certioraque. Pilei & ipsi ad normam eorum, quos gestant Castores & Dioscuri, fabrefacti, ad Rheam ideo spectant, quia Samo-thracum Deorum, Curetum, Corybantum, Cabyrorum gestamina videntur fuisse, & Castores ipsi affines hisce omnibus fuerunt, vt ex ijs, quæ habet Strabo lib. X. & ex Vectio Basso in Arateis Phænomenis, & Hugonis Grotij notis ad Syntagma Arateorum conijcere est. addamus porro & apud Cephallenenses MAGNOS DEOS appellatos fuisse, vt notat Pausanias in Atticis. Quæ fuit legitima Magnæ Deum Matris, & Attinis nomenclatura, vt indicant veteres Inscriptiones. Seruius ad III. Aen. hæc habet, *Varro vnum esse dicit Penates & magnos Deos. Nam & in basi scribebatur MAGNIS DIIS. Et idem Varro & alij complures magnos Deos affirmant simulacra duo virilia Castoris & Pollucis, in Samo-Thracia ante portum sita, quibus naufragio liberati vota soluebant.* Macrobius lib. III. Saturn. cap. IV. addit, *Varro humanarum II, Dardanum refert, Deos Penates ex Samo-Thrace in Phrygiam, & Aenean ex Troia in Italiam detulisse, &c.* Crux ipsa in summis Pileis quo pertineat mihi incompertum est. Apparet certe in Geminorum Pileolis apud Aratum, ex editione Cl. Viri Hugonis Grotij, qui minus recte, mea quidem sententia, torulum interpretatur. Torulus enim Plautinus sub Petafo fuit. At hæ Cruces in summo Pileo. Torulus autem videtur effectus in vetere Nummo, qui est Mercurij apud me.



Suos igitur Castoras habuerunt & Phryges ipsi. Luna excrescens vel illam narratiunculam, fabellam verius, exprimit, quam Diodorus Siculus ex Atlantidarum theologumenis compilauit, vel Attidis mysticum ornatum, qui in nummis aliquot veteribus cernitur, huius lunaris sectiunculæ ad pectus eiusdem adfixæ.



Virga, siue illud sceptrum sit, Pineæ insignitum, potestatem Solis asserit, qui cuncta moderatur. De nuce Pineæ inferius suo loco agemus. Manus extimam partem ornant proximæ à capite Draconis Tibiæ, quarum altera videtur expressisse acutum tinnitum, altera grauem bombum, vt loquitur Apuleius. Et Tibiarum fuit inuentor Marsyas, si Diodoro credimus, qui Cybelæ amicus fuit. Varro apud Seruium lib. IX. Aen. non admodum graphicè ad picturam nostram; *Tibia Phrygiæ* dextra vnum foramen habet: sinistra duo, quorum vnum acutum sonum habet, alterum grauem. Seruius magis apposite, ad illud ex Aeneidos IX.

— *biforem dat Tibia cantum,*

*Bifonum,*

*Bifonum*, imparem. Et seruauit eis Tibiarum suarum, idest Thrygiarum naturam. Tibiæ aut Serranæ dicuntur, quæ sunt pares, & æquales habent cauernas. Aut Phrygiæ quæ & impares sunt, & inæquales habent cauernas. Post Tibias Cymbala & Sistrum in conspectu sunt. Illa eadem penè figura uisuntur etiam Romæ, in veteri ara marmorea, quam citauimus, apud Cæsios, secantia decussatas faces. Virgilius in IV. Georg.

*Tinnitusque cie, & matris quate Cymbala circum.*

Vbi hæc Seruius; *Matris Cymbala: quæ in eius tutela sunt, ideo quod similia sunt hemicyclis celi, quibus cingitur Terra, quæ est mater Deorum.* Hæc Martialis lib. XIV. 204. appellat Aera, quod aerea essent,

*Aera Celenæos lugentia matris amores*

*Efurians Gallus vendere sæpe solet.*

Idem lib. V. 42.

*Et concubino mollior Celenæo,*

vbi non parum mihi subit mirari, cur Martialis Celænas immiscuerit ijs, quæ Pessinunte celebrabantur. Distant enim Sangarius & Marsyas non minimo terrarum tractu, ut ex tabulis Geographicis patet, & Claudiani Carminibus, lib. II. in Eutro.

*Sangarium, vitrei puro qui gurgite Galli*

*Auctus, Amazonij defertur ad ostia Ponti.*

*Icarium pelagus, Mygalæaq; litora iuncti*

*Marsya, Mæanderq; petunt —*

At hæc sollempne est Poetis confundere. Nisi dicamus, Celenæos transtulisse ad suam regionem hæc omnes religiones, emulatione quadam, ut olim fiebat, Ciuitatum; & cuius non parua extant vestigia apud veteres auctores. Alioqui apud Pessinuntem & Dindyma stata & legitima fuerunt hæc sacra. Ammianus Marcellinus, lib. XXII. vnde dextrorsus: itinere declinato, Pessinunta conuertit, uisurus uetusta Matris magnæ delubra, &c. Et antiquum Epigramma.

*Qui colitis Cybelen, & qui Phryga plangitis Attin*

*Dum vacat, & tacita Dindyma nocte silent,*

*Flete meos cineres &c.*

vbi notandus est ploratus, apposite ad aera lugentia Martialis. Attis enim plangebatur, ut & Osiris, & Adonis. Quod & Iulius Firmicus notauit; *lugete Liberum, lugete Proserpinam, lugete Attin, lugete Osirin, sed sine nostræ contumelia dignitatis.* Est autem prosopopœia Solis loquentis, aduersus eam hæresin, quæ Macrobij tempore uiguit, Solem ipsum in varia numina diuidentem. Sistrum ad Isidem pertinet, neque ideo abludit à magna Matre. Marcianus enim Capella libro I. in lunari circulo statuit Sistra Niliaca, Eleusinam lampada, Arcum Diæynnæ, & Tympana Cybeleia. Mentulam illustrant illa Arnobij. *Dicite o ieorum, ergone Deum Mater genitalia illa desecta cum floribus, ipsa per se mærens officiosa*

officiosa sedulitate collegit, ipsa sanctis manibus, ipsa diuinis contrectauit & sustulit flagitiosi operis instrumenta sedique? &c. Culter (si modo is culter est; æmulatur autem falcem vinitoriam, quam delineauit Columella) non aliò referendus est, quàm ad exfectionem virilium. Iuuenalis Sat. II.

*Quid tamen expectant, Phrygio quos tempus erat iam*

*More superuacuum cultris abrumpere carnem?*

Cultri autem figuram exhibet antiquum marmor, Capuæ; apud Gruterum 640. 11. utebantur vero Coqui Cultro. Plautus, Aulularia. Ev. quia Cultrum habes CON. Cocum decet Venatores etiam, Martialis Lib. I. 115.

————— *Stupuitq. superbus*

*Venator, cultro nil superesse suo.*

Et hos Secepsitas appellant nostri Antiquarij, non omnino male. Testula alioqui vsum fuisse Attinen notat Arnobius, & filice ante Arnobium Catullus.

*Diuellit illa acuto sibi pondera filice.*

De cithara superfluum videtur vt sermonem instituamus. Ea enim Solis & Apollinis gestamen est satis notum. Virgilius lib. XI I. Aen.

*Ipsæ suas artes, sua munera lætus Apollo.*

*Augurium Citharamque dabat ———*

Et Apollo magnæ Matris amasius fuit, teste Diodoro Siculo. Quod sequitur statuemus esse Gladium, quo vsi sunt Galli, ad brachia sibi quisque dissecanda: in pompa nimirum & lymphato illo discursu. Apuleius lib. VII. Lucretius lib. II.

*Telaque præportant violenti signa furoris*

*Ingratos animos, atque impia pectora volgi*

*Contertere metu quæ possint numine diuæ.*

Ceterum antiqui gladiatorum capulos, & infima vaginarum ita frequenter ornarunt vt hic videmus, cum tamen gladij mucro in acumen, desineret, neque esset arcuatus, vt plerique arbitrantur. Et hoc schemate conspiciebatur antiquus Gladius, apud LAEL. PASCHALINVM Romæ, vt nos non ita pridem vidimus, & alij non semel. Gladij porro vsum & primum inuentum Diodorus ad Curetas refert, li. V. Biblioth. At Curetes cum Idæis Dactylis & Corybantibus non semel confundunt veteres auctores, Strabone etiam teste. Seruius eximie ad lib. III. Aen. Alij tradunt, Curetes & Corybantes, matris Deum ministros, custodes sicut dictum est pueri Iouis, ad plurimas res maximi vsus hominibus extitisse. Claudianus Libro sæpe citato,

*Interea gelidæ secretis partibus Idæ*

*Dum sedet, & thyasos spectat de more Cybele,*

*Curetumque alacres ad tympana suscitât Enses.*

Et lib. II. de raptu Proser.

*Seu tu sanguineis vlulantia Dindyma Gallis*

*Incolis, & strictos Curetum despicias Enses.*

For-

Forceps quæ subsequitur Vulcanum indicabit, quem Pileus & Tenax (nos Italicè *Tenaglia*) insigniuerunt apud veteres; vt in Aureliæ, & Cæsiæ gentis Denarijs adnotatum est. At Vulcanus Cœlo natus, cuius meminit Cicero lib. III. de Nat. Deorum, Cybelen cognatione aliqua videtur attingisse. Et certè Marcianus Capella Terræ patrem Vulcanum nominat. At Terra magna mater fuit. Lucretius.

*Quare magna Deum mater, materque ferarum*

*Et nostri genetrix hæc dicta est corporis vna.*

Summum fastigium Pollicis digiti insidet nux Pineæ, qua Iſiacos vsos fuisse scribit Ael. Lampridius in vita Commodi Imperatoris. Vt ex hoc etiam capite liqueat, quod sub initium huius commentatiunculæ monuimus, indiscretas fuisse horum numinum apud antiquos rationes. Statius lib. X. Thebaid.

*Sic Phryga terrificis genitrix Idæa cruentum*

*Elicit ex adytis, contemptaque brachia ferro*

*Scire vetat. quatis ille sacras in pectora Pinus,*

*Sanguineosque rotat crines, ac vulnera cursu*

*Exanimat, paueat omnis ager, resperfaq; cultris*

*Arbor, & attoniti currum erexere leones.*

Vbi videtur falsus Lucretius Placidus, qui Pinus sacras consecratas facies interpretatur. Pinus autem arbor in penetralia templi Matris Deum inferebatur, in Attidis memoriam, vt scribit Arnobius lib. V. non semel. Quod nimirum sub ea Attis virum exuisset, vel trunco illo induruisset, vt canit Ouidius lib. X. Metamorph. Inferebatur vero lanarum velleribus stipitem circumuoluta, & ramulos redimita & compta violaceis coronis. Dies autem status & solemnus huiusce illationis fuit XI. Kal. Aprilis, vt ex vetere Calendario Constantiniano me docuit HIERONYMVS ALEANDER, cuius docti & eruditi in illud idem commentarij propediem prodibunt. In eo est legitima hæc festi diei formula ARBOR INTRAT. vnde natum videtur glossema Lucretij ad illa Statij.

————— *Resperfaq; cultris,*

*Arbor.* —————

ARBOR. Pinus, quæ colitur in sacris Matris Deum, sub qua iacuit Attis, Matri Deum dilectus.

Seruius ad illa IX. Aen.

*Pineæ sylua mihi multos dilecta per annos*

*Scriptis, congrue nam Pinus in tutela Matris Deum est.* Qui imitatus est Claudianus Lib. I. de rap. Proserp.

————— *Templi; colendi*

*Religiosa silex, densis quam Pinus obumbrat*

*Frondeb; & nulla lucos agitante procella*

*Stridua coniferis modulantur carmina ramis.*

*Terribilis intus Thyasi, veramq; mixta*

*Concentu delubra gemunt, ululatusque Ide  
Bacchatur, timidas inclinant Gargara sylvas.*

*&c. graphice.*

In eadem media simulacrum iuuenis subligabatur (inquit Iul. Firmicus) Attinis videlicet: idque ex Dei fortasse monitu, ut scribit Diodorus Siculus. Hinc Pinus in tutela Cybeles fuit. Phædrus lib. III. Fabular.

————— *Quercus Ioni,  
Et Myrtus Veneri placuit, Phæbo laurea,  
Pinus Cybela, Populus celsa Herculi.*  
Pinus autem figura, ut in marmoribus & gemmis olim hæc fuit.



Expressit vero hic Artifex Virgilianum illud ex Ecl. VII.

*Hic arguta sacra pendebat fistula Pinu.*

& illa Macrobij Lib. I. Saturn. cap. 21. Solem vero sub nomine Attinis ornant *Fistula & Virga*. Ad nucem Pineam ut reuertamur; extat apud Macrobius insignis iocus Cascellij I. C. qui consulenti an nux Pineæ Pomum esset, respondit, Pomum futurum, si in Vatinius misisset. Lib. II. Saturn. cap. 6. At sine exceptione pronunciauit Martialis Lib. XIII. 25.

*Toma sumus Cybeles, procul hinc discede Viator,*

*Ne cadat in miserum nostra ruina caput.*

Cybele autem dicta est à monte Cybelo, seu Cybele. Virgilius Lib. III. Aen.

*Hinc Mater cultrix Cybeli* —

& Ovidius in IV. Fastor.

*Inter ais viridem Cybelen, altæque Celenas.*

Imposuit autem pictor, siue alius quispiam GABRIELI SIMÉONIO, & Io. GEORGIO HERVVARTO, ut alia specie nobis exhiberent ex marmore PENNENSI, inter MASILIAM, & AQUAS SEXTIAS cruto. Indicem & impudicum

C

dicum digitos, ut ex fragminibus etiam nunc apparet, obsidebat olim Aquila, quæ fulmen unguibus prensabat. Illa Iouem utique significauit, qui Agdistis, seu Acdestis pater fuit; cuius cruore extitit repente (ut diximus) malum Punicum, quo in sinu reposito, concepit Attidem mater. Manus autem hæc gestu & conformatione, dextram Attinis exhibet, ut videmus in signo una cum ipsa eruto. Neque absurdum erit opinor excurrere tantisper hic, & emendare insignem Vlpiani locum, in quo de magna Matre agitur; ut in pristinum nitorem restituantur qui hactenus in mendo delituit, ad speciem elegans, & elaboratus. Huic ego Laruam omnium primus forte detraxero. Locus est in Libello, cui titulum adscripserunt, Institutionum seu Titulorum, ex corpore Vlpiani, Lemmate, *Qui heredes institui possunt*. Recenset ibi I. C. Deos illos, quos ex S. C. seu Constitutionibus Principum, heredes licebat instituere. Enumerat vero *Iouem Tarpeium, Apollinem Didymæum, Martem in Gallia, Mineruam Iliensem, Herculem Gaditanum, Dianam Ephesiam*. Hucusque recte omnia; porro adiungit *Matrem Deorum Cybelem, eam quæ Smyrnæ colitur*. Cybelen hanc ne fanaticus quidem vllus somniauit vniquam. Quid enim Vlpiano, cuius proprietatem atque elegantiam viri docti suspexerunt, cum poetica illa voce, quæ tautologian etiam inuito exprimeret? At vero cordatus nescio quis (IO. TILIVS fortasse) cui plerique veteres I. C. ferimus acceptos, quique hunc Librum primus edidit, manu scripti Codicis scripturam bona fide exhibuit multis in locis. ingenue, hoc & religiose. Vidit enim vir eruditus quisquis ille fuit latitare nescio quid sub ea Librarij manu, quæ hæc litterarum notas descripserat, **MATREM DEORVM SIPELENSIM QVAE HYSMYRNE COLITVR**. Hæc antiquæ lectionis altius impressa vestigia eo primum me traduxerunt, ut cogitarem scripsisse Vlpianum **MATREM DEORVM SIPYLENSEM ISIN QVAE SMYRNAE COLITVR**. Neque omnino mala hæc mihi diuinationo videbatur, coniectanti ꝛ ISIN, ex Librarij oscitantia, & Litterarum cognatione, antecedentis dictionis extrema, antiquo & alibi sæpius prodito vicio inuasisse. Aderant meæ Emendationis rationes ut sane opinabar satis exquisitæ. Pausanias in primis eruditus antiquitatum indagator, Lib. III. Magnesios testabatur, qui in Sipyli parte Aquilonari sunt, signum Matris Deum adseruasse, longe omnium quotquot extabant antiquissimum. Huiusque antiquitatis vel Senatum vel Principum aliquem rationem habuisse ut mihi persuaderem, Asylorum iura vetustati plerumque innixa, ut apud Tacitum, a simili compellebant. Accedebant præterea Magnetum merita, qui in bello, quod Populus Romanus aduersus Mithradaten gessit, egregiam operam nauarunt. Iam vero quod ad Isiden attinet, quæ Smyrnæ coleretur, retulerat pridem in litteras Aristides, Sacror. serm. III. & Sacerdotem & Templum Isidis Smyrnæ, in quo ipse Isidem, & Sarapidem, anserinis hostijs exorasset. Neque vero permouebant me aliquorum

rum voces, absonum videri Aegyptiam superstitionem adeo probatam. Vlpiano, vt inter maiorum gentium Deos Isin adnumeraret. Succurrebat enim, id non Iurisconsulto ipsi, sed Senatui, Principibusue, qui superstitionibus indulgissent, vitio vertendum. Fungi ipsum enarratoris munere non philosophi. Quæ si non placerent; non eum esse me, qui miraretur hominem Christianis infensum, Deorum cultui plus nimio addictum, sordida monstra scriptis suis intexuisse. Hoc nimirum iure obtigisse

*His quibus exaltas placuis seruire tenebras,  
Splendentemq; die medio non cernere Solem.*

vt missum faciamus, Vlpianum Præfectum Prætorio fuisse eius Principis, qui *Isium & Serapium* (Lampridij verba sunt in Alexandro) *decenter ornavit*.

Neque vero inficias iuerim, non displicuisse mihi emendationem alteram, ab antiqua scriptura minimum abeuntem: ea fuit, MATREM DEORVM CYBELEN ISIN QVAE SMYRNAE COLITVR. ita tamen vt Cybeles cognomentum topicum fuerit. de quo Pisander apud Stephanum in KYBELEIA, Strabo Lib. XII. Diodorus Siculus Lib. III. Suidas & alij. Hæc vt dixi speciosa & vera videbantur, quæ etiamnum videntem meliora probantemque alliciunt tamen. Verum, vt sunt posteriores curæ meliores, commodum occurrit Aristides, qui non semel in Sipylo Smyrnam illam antiquam, ibidemque Iouis matrem, Deorum thoros, & Corybanum choros recensuit. An idem sibi voluit Plinius Lib. XIV. cap. IV. *nascitur* (Maroneum) *Smyrnæ regione, iuxta delubrum Matris Deum?* Antiquissimam autem religionem Smyrnæi videntur in nouam urbem transtulisse, & veteri seruato loci cognomine, in Metroo excoluisse. Neque vero meritis in Pop. Rom. Smyrnæi Magnesijs erant posthabendi, si Cornelio Tacito credimus. Legamus igitur MATREM DEORVM SIPYLENSEM, quam vt secerneret Vlpianus ab ea, quæ apud Magnesijs colebatur, adiecit, QVAE SMYRNAE COLITVR.

## A P P E N D I C V L A.



Ilius Gregorius Gyraldus vir sane accuratissimus proprio Syntagmate de Rhea & Ope, multa disseruit, quæ eruditum Lectorem instruere possunt. Nos hic Analecta quædam dabimus eruta è varijs Inscriptionibus Marmorum & Nummorum. Itaque monemus primum A. Augustinum Dial. V. hanc epigraphen D. M. M. I. I. recte interpretatum esse Deum matri magnæ Ideæ, minus recte Deæ magnæ matri Isidi. marmor enim præferebat Cybelen non Isidem. Licet enim hæc mytheria (vt non semel monuimus) coaluissent, vt satis superq;

C 2 indi-



- Indicant carmina Cypriani, seu Tertulliani, ad Senatorem apostatam;
- II. tamen Isis alio cultu, & schemate fingeatur. Monemus secundo Pierium Valerianum virum impense doctum lib. 39. Hieroglyphic. recensuisse Nummum Faustinae Aug. cuiusmodi & nos olim habuimus, in cuius aversa superficie spectabatur Cybele Leoninae insidens sellae, sphæramque inter manu & genu continens, cum nonnulla hallucinatione.
  - III. Non enim sphæra, sed tympanum est certo certius. Monemus tertio Adolphum Occonem Pierij auctoritati nimis in hoc detulisse, in suis Numismatibus, cum posset nummum inspicere, & tympanum adnotare loco sphærae. At Catalogo, quem recitat Seruius MAGNOR. DEORVM Lib. III. Aeneidos ex variorum Auctorum sententia, adiungi possunt Mater Deum & Attis, quibus duo monumenta posita sunt sub hac inscriptione DIS MAGNIS, apud Gruterum 27. 4. & 28. 2. porro Idæam appellarunt ab Ida vel Cretæ vel Troiæ; utrobique enim
  - V. colebatur, ut scripsit Virgilius. Magnam cur dixerint petamus ex Lucrecio, & Arnobio. Mater Deum magna Pori Aug. & Traiani, siue Triani Felicis quæ fuerit alij viderint; exscripsit autem Gruterus 308. 10. 11. fide Iusti Lipsij, marmor mendose, quod emendatum habetur
  - VI. apud Phil. Cluver. Lib. III. Ital. antiq. cap. III. Cerariam quam appellet antiquum marmor apud eundem 101 c. 2. mihi prorsus est incomperturn. nescio quid sane Cereris redolet, quam eandem esse cum Magna
  - VII. Matre nonnulli arbitrati sunt. Attis qui & aliquando Attin, <sup>Γ' 1506</sup> altissimus, cellissimus nuncupatus est, ut in veteri Inscriptione apud Gruter. 28. 1. Solem nimirum omnia peruidentem, omnia perlustrantem esse censebant, ut diximus. Vidiinus etiam appellatum Minotaurum & Minoturanum, petita fortasse a nomine alicuius vici nomenclatura. Succurrebatq; Minotaurus, nisi amicus noster FEL. OSIVS vir ornatissimus, humaniorum litterarum in hoc nostro Gymnasio publicus Interpres ostendisset mihi duas veteres Inscriptiones Romæ recens erutas.
  - IX.

M. D. M. I

ET ATTIDI SANCTO  
M ENOTYRANNO  
Q. CLODIVS FLAVIANVS  
&c.

&

MATRI DEVM MAGNAE  
IDEAE. SVMMAE. PA  
RENTI. HERMAE. ET ATTIDI  
MENOTYRANNO INVICTO  
&c.

Quæ





Quæ sanè longe abeunt a Minotauro. Quare AMPLIANDVM. Videmus autem in hisce Inscriptionibus Cybelen summam, & paren- I X. tem appellari, Attiden sanctum, & inuictum. quod postremum adiunctum Herculi, Soli, & Mithræ conuenit: imò huic vni proprie si Commodianum audimus.

### IN VICTVS

*Inuictus de petra natus si Deus habetur  
Nunc ergo . . . . . vos de istis date priorem  
Vicit petra Deum quærendus est petre creator.  
Insper & furem adhuc depingitis esse  
Cum si Deus esset vnaquam non furto viuebat  
Terrenus vtiq; fuit & monstriuora natura  
Vertebatq; boues alienos semper in antris  
Sicut & Cacus Vulcani filius ille.*

hactenus Auctor conclamatæ editionis, & desperatæ. Attin appellatum X. Phryga vidimus in vetere Epitaphio vt retulimus apud Cæsios Romæ. Mater Deum magna Idæa, & Attis populi Romani apud Gruterum XI. 308. 7. ita videntur esse appellati receptis publica auctoritate sacris. XII. Quod ex nuncupatione ipsius Archigalli satis patet. Cuius erat vaticinatio, vt præter antiquum marmor Gruterianum xxx. 2. Appuleius & Tertullianus cum risu & insectatione notauerunt. Ceterum in parergis XIII ararum horum Deorum fere semper visuntur Tauri & Arietes, vt in Inscriptionibus sit mentio Taurobolij, & Criobolij, cuius præterea meminit Iulius Firmicus, *Tauribolum* [*Taurobolium*] vel *Oriobolium* [*Criobolium*] *scelerata te sanguinis labe* [*tabe*] *perfundit*, vel *scelerato tabo*. at *labes* etiam ferri potest.

At quale hoc sacrum? Prudentius Iuculenter expresit in Romano XIV martyre, quem omnino vide.

*Agnoscis illum quem loquor miserrime,  
&c.*

vbi meminit tabidi roris, & tabi. Et hoc fuit Taurobolium Criobolium- XV. quæ percipere, & Taurobolio in æternum renasci, vt ipsi quidem non minus ridicule, quam impie arbitrabantur. hoc Taurobolium & Criobolium facere. hoc accipere. Tauropolia vero, quorum meminit Ca- XVI faubonus ad Athenæum Lib. VI. Animad, cap. 16. an huc pertineant, viderint doctiores. in Inscriptionibus certe Gallicanis Taurobolium, & Tauropolium promiscue legitur. Ad Matrem Magnam, & Attidem, vt redeamus, qui plura de ijs volet, adeat Fulgentium Lib. III. Mythologicon, & Lucianum de Syria Dea.

Cum

Cum pagellæ aliquæ vacarent, visum est heic exscribere integrum Lucretij locum cuius suprà. mentio facta est, quòd ad eiusdem argumenti illustrationem mirificè conducere visum fuerit. Extat autem libro II.

Principio tellus habet in se corpora prima,  
Vnde mare immensum voluentes flumina fontes  
Assidue renouent: habet, ignes vnde oriantur.  
Nam multis succensa locis ardent sola terræ.  
Eximijs verò furit ignibus impetus Aetnæ.  
Tum porro nitidas fruges, arbutaque leta  
Gentibus humanis habet vnde extollere possit:  
Vnde etiam fluidas frondeis, & pabula lata  
Montiuago generi possit præbere ferarum.  
Quare magna Deum mater, materque ferarum,  
Et nostræ genitrix hæc dicta est corporis vna.  
Hanc veteres Graiū docti cecinere poetæ  
Sublimem in curru biyugos agitare leones:  
Aeris in spatio magnam pendere docentes  
Tellurem, neque posse in terra sistere terram:  
Adiunxere feras, quia quamuis effera proles  
Officijs debet molliori victa parentum.  
Muralique caput summum cinxere corona:  
Eximijs munita locis, quia sustinet vrbeis:  
Quo nunc insigni per magnas prædita terras  
Horrificè fertur diuinæ matris imago.  
Hanc variæ gentes antiquo more sacrorum  
Ideam vocitant matrem, Phrygiæque catervas  
Dant comites, quia primum ex illis finibus edunt  
Per terrarum orbem fruges cepisse creari.  
Gallos attribuunt, quia numen qui violarint  
Matris, & ingrati genitoribus inuenti sunt,  
Significare volunt indignos esse putandos,  
Viuam progeniem qui in oras luminis edant.  
Tympana tenta tonant palmis, & cymbala circum  
Concaua, raucifonoque minantur cornua cantu,  
Et Phrygio stimulat numero caua tibia menteis,  
Telaque præportant violenti signa furoris,  
Ingratos animos, atque impia pectora volgi  
Conterrere metu quæ possint numine diuæ.  
Ergo cum primum magnas inuecta per vrbeis  
Munificat tacita mortaleis muta salute:  
Aere atque argento sternunt iter omne viarum  
Largifica stipe ditantes, nunguntque rosarum

Floribus,

Floribus, umbrantes matrem, comitumque cateruas.  
 Hic armata manus (Curetas nomine Gray  
 Quos memorant Phrygios) inter se fortè catenas  
 Ludunt, in numerumque exultant sanguine lati: &  
 Terrificas capitum quatientes numine cristas,  
 Dictæos referunt Curetas: qui Iouis illum  
 Vagitum in Creta, quondam occultasse feruntur,  
 Cùm pueri circum puerum pernice chorea  
 † Armati in numerum starent: pernice chorea  
 Armati numerum pulsarent æribus æra,  
 Ne Saturnus eum malis mandaret adeptus,  
 Aeternumque daret matri sub pectore volnus.  
 Propterea magnam armati matrem comitantur,  
 Aut quia significant diuam prædicere, vt armis,  
 Ac virtute velint patriam defendere terram:  
 Presidioque parent, decorique parentibus esse.

F I N I S.

---

V E N E T I I S, M D C X X I I I I.

Ex Typographia Misserina.









Osterreichische Nationalbibliothek



+Z174183603

